





546

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE 1705, 5. NOVEMBRI.

# INCONGRUA APPLICATIONE JURIS LONGOBARDICI AD FEUDA GERMANIAE QUAM AVXILIANTE DIVINA CLEMENTIA CONSENSU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS. *IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE HASSIACAE GISENSI.* PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HO NORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS SOLENNITER CONSEQUENDIS, *IN AUDITORIO SOLENNI* MAGNIFICIS ATQUE EXCELLENTISSIMIS DNIS. PROFESSORIBUS VENTILANDAM PROPONIT. *ABSQVE PRÆSIDE* **JUSTUS CHRISTOPHORUS** **WILLERDING,** HILDESIENSIS SAXO. D. XIII. AVGUST. ANNO MDCCV. — GISEÆ - HASSORUM, Excad. JOHAN. REINHARDUS VULPIUS, ACAD. TYPOGR. ORD.



599

- 3 -

## ANTEFATIO.

**V**anta ex incongrua applicatio-  
ne juris *Justinianei* & *Longo-  
bardici* (quæ jura in se injustitiae  
non accuso) ad statum nostrum  
publicum, orta fuerint inconve-  
nientia, facile ille perspicit, qui, ut cordatus  
Patria civis, de damno & ardentि pariete  
proximi anxie est sollicitus. *Nabis, Lacede-  
moniorum Rex, ad T. Quinctium hoc in pas-  
su haud male ait apud Liv. lib. 34. hist. or.  
Nolite ad vestras leges atque instituta  
exigere ea, quæ Lacedemone fiunt.  
Vos paucos excellere opibus, plebem sub-  
iectam esse illis vultis ; Noster Legumla-  
tor non in paucorum manu Rempubl. esse  
voluit, quem vos senatum appellatis, nec  
excellere unum aut alterum ordinem in  
civitate sed per æquationem &c. *Sunt et-  
enim varia Rerumpubl genera, quæ non uno  
& eodem modo reguntur, nec eosdem fines in-  
termedios habent, per quos ad ultimum suum**

A 2

scd.

scopum pertingant ; Nam in Monarchia  
 unus , in Aristocracia pauciorum sc. optimam  
 potestas , in Democracia communis liber-  
 tas maximè attenditur : Quarum quoque  
 civitatum contrarii sunt fines , earum con-  
 trarios mores esse oportet ; Legesque ; quibus  
 populi libertas alitur , Vnius dominatum &  
 Optimatum potentiam evertunt , è contra  
 que unius dominatum , aut Optimatum po-  
 tentiam stabiliunt , populari libertati exitiosa  
 sunt . Conf. Bodin. de Republ. l. 4. c. 4.  
 Hoc si considerasset Legista (quod nomen ve-  
 ros & Ctos non tangit) non à foro in aulam , inti-  
 mioraq; consiliorum publicorum penetralia sub  
 splendido juris publici privatiq; Sacerdotum ac  
 Consultorum nomine irrepissem ; Quod tamen ,  
 malà planè ave factum , quando non solù actioni-  
 num suarum formulas , instrumentorum clau-  
 sulas , exceptiones , protestationes , appella-  
 tiones &c. è foro in rem publicam intulerunt ,  
 sed etiam quando de Statibus Imperii , eorum  
 dum iure , superioritate territoriali , ratione  
 status , dubitatio exortafuit , non ex Germano-  
 rum

400

rum historiis, notoria observantia, Legibus  
publicis, & Imperii Constitutionibus, sed ve-  
terum legum placitis & Glossatorum Com-  
mentariis litem deciderunt, ad Imperatoris  
decisionem omnia traxerunt, eaque, quæ de Im-  
perio ac Imperatore Romano antiquo scripta  
inveniebant, ad modernum Imperii statum  
promiscue applicarunt. Quare jura omnia  
de principe loquentia ad Imperatorem no-  
strum cū Durando Speculatore tit. de appellat.  
§ videndum restat. in princ. l. 2. accommoda-  
runt; Eiusdem potestatem cum Baldo Conf.  
327. versl. 7. l. 1. jure antiquæ legis Regiae,  
metientes, quam legem Regiam nec sublatam  
hodie esse, imo nec tolli potuisse, suaviter so-  
mniarunt. Vid. ex Aretino & Julio Claro  
Reinking lib. 1. de reg. sec. & eccl. cl. 2. c. 2.  
n. 55. Qui, quod magis, & alii infinitier-  
ores pestilentissimi, ferè, ut ita loquar, in  
jus transferunt ut ita ille, qui eos recitare  
potest & insuper antiqua rei Romana, aut  
universalis historia scriptorem per transen-  
nam forte inspexit, & Electorum sacratis-

A 3 morum

simorum numerum, officia, aliqua curia-  
 lia, de quibus Aurea Bulla agit, enarrare  
 scit, jam idem juris publici peritisimus, &  
 omnibus numeris absolutus ICtus, sed perpe-  
 ram, habeatur. Quae cum ita sint, procul  
 dubio virgâ censoriâ me nemo feriet, quod  
 impræsentiarum particulam quandam juris-  
 publici, utpote in quo navi haud exigui ad-  
 huc resident, sc. materiam de Feudis Germa-  
 niæ & incongrua ad eadem juris Longobar-  
 dici applicatione arripuerim & loco disputa-  
 tionis IN AVGVRALIS calamo meo discu-  
 tiendam commiserim, discussamque publice  
 ventilare decreverim. Quemadmodum ve-  
 ro materia hæc spinosa ac satis delicata est, in  
 amplissimumq; seâ diffundit campum ita Ela-  
 borationem in generales tantum concepi ter-  
 minos, specialiores forsitan feliciori horâ sepa-  
 rato tractatu absoluturus; Atque hinc aquos  
 rerum estimatores aquibonique consule-  
 re velle, que hic paucis pagellis con-  
 scripsi, non dubito.

DE IN-

EGYPTI

401

- - - 8 - - -



D E

# INCONGRUA APPLICATIONE JURIS LONGOBARDICI AD FEUDA GEMANIÆ.

s. I.

Nde feuda originem trahant, acris in-  
ter Feudistas est disceptatio : Aliqui  
primogenitam illorum originem mo-  
ti textu 1. F. i. §. & quia 1. verb. anti-  
quissimo, ab ipsis prope mundi exor-  
dio derivare sustinent, & ad id in-  
primis sacrarum literarum Genes. XIV.  
4. Paralip. XXXVI. 13: autoritatem adhibent. Joh. Niel-  
lius Disp. Feud. 1. th. 1. Sed horum opinio mihi satis vi-  
detur ficalnea. Verbum enim illud antiquissimo vel se  
refert ad consuetudines, quæ semper vocantur antiquis-  
simæ Usualte Gewohnheiten; vel respectum habet ad com-  
pilationem, quæ facta post nativitatem Christi forsan  
seculo XII. cum tamen Longobardi statim post obitum  
Justiniani (forsan A. 568. vel alii volunt 573. vid. Anastas.  
in vit. Bened. P à quibus dissentunt, qui tempus migra-  
tionis in annum 567. conferunt) Italiam ingressi fuerint  
& feudorum consuetudines introduxerint, & sic hac ra-  
tione jus feudale Longobardicum meritò antiquissimum  
dici possit. Illustris Dn. Samuel Stryckius, Fautor ac

Præce-

*Varia sunt  
opiniones de  
origine feu-  
dorum. Que  
recensentur.*

Præceptor' quondam meus obseruantia omni colendus  
in exam. jur. feud. c. i. qu. 8. Ludvvell, in *Synops.* c. i. p. 5.  
Vel non absoluē ita dici, sed ratione subsequentium ju-  
rium, quorum mentio fit. i. Feud. i. §. i. putat Bitschius  
*in Comment. Jur. feud.* p. 27. Deinde quod attinet tex-  
tus scripturæ S. nihil minus quam juris-beneficiarii men-  
tionem faciunt; In priori enim occurrit juramentum,  
atqui hoc est varium, & vel in signum subjectionis, pa-  
tri foederis &c. exigi potest; imo fidelitas ipsa varium  
admittit respectum. Posterior verò textus magis loqui-  
tur de regibus tributariis, quam Vasallis Kedorlaomoris.  
Sunt etiam qui ab Alexandro Severo originem feudorum  
repetere nituntur, quod illa, quæ de hostibus capta sunt,  
limitaneis ducibus & militibus concederit, eā lege ut non  
nisi ad heredem militantem transirent. Lamprid. *in Alex.*  
*Sever.* c. 58. Guido Panciroll. lib. i. var. lect. c. 90, Carol.  
du Fresne *in Glossar. voc. feudum* p. 406. Sed cum hanc  
Severi constitutionem Constantinus M. mitigaverit &  
ad heredem paganum eadem prædia etiam postea  
transire voluerit. Pompon. *Latus Rom. hist.* lib. 2. *in Con-*  
*stantin.* & finis quoque deficiat, his prædiis attributa  
natura feudalis sponte evanescit.

*Quidam etiam à Romanis deducunt.* §. II. Rursus alii à Romanorum legibus originem  
feudorum deducere conantur, sed hi ipsi inter se non  
conveniunt, sed multiplici ratione à se invicem dissen-  
tiunt. Vid. Vultejus i. F. i. n. 11. Guerr. Piso *in prelud.*  
*feudal.* c. 4. Garcias *de expens.* c. 12. Quidam enim  
ab antiquis Romanorum clientelis, quæ inter patronos  
& clientes intercessere, de quibus vid. Bodin. *de Republ.*  
I. 7. feuda orta esse existimant, uti factum videmus à  
Zasio *in epitom. feud.* part. i. n. 1. Oldendorp. *Class. V. de*  
*act.*

402

act. benef. p. 566. Freccia *Comment. feud.* lib. 1. c. 1. con-  
clus. 17. Nonnulli à militiai quarum passim in jure Ro-  
mano fit mentio, & de quibus vid. Brisson. *voc. benefic.*  
*beneficiorum jura derivare volunt.* Haloander *prefat. in*  
*Novell. Justin. circ. fin.* Ab his sunt diversi qui beneficia  
feudalia arcessere cupiunt à Colonis & Agricolis ex l.  
6. 18 & 19. C. de agricol. & censit. Et cum his benefi-  
ciarios & Vasallos comparare sustinent, de quibus Go-  
thofr. *ad Lib. V. Cod. Theod. tit. 9.* Illis hæc omnia  
displacent, qui à prædiis stipendiariis & tributariis, pri-  
mordia feudorum deducunt; sed ne cum incondita tur-  
ba nobis res sit, demus ei advocationem, qui est Lucas à  
Penna in l. 3. C. de omn. agr. desert. *Lib. XI.* Ab his omni-  
bus discedunt Cujacius l. 8. obs. 14. & lib. 1. *feud. pref.*  
*Borchold. de feud. c. 2. n. 12.* ad homines, h. e. procura-  
tores, actores, custodes, conductores, emphyteuticarios,  
de quibus l. 2. C. de Episc. & Cler. l. 1. C. de Commerc. &  
mercat. l. un. C. de Conduct. & procur. præfiscal. L. XI.  
l. 4. C. de dignit. L. XII. mentionem injiciunt, beneficia-  
rium institutum applicant. Reperies quoque qui pa-  
triæ gloriæ accensi, à Gallis feuda descendere, evincere  
conantur, & quidem ab eorum devinctis Solduriis, quo-  
tum hæc erat conditio, ut omnibus in vita commodi  
cum his fruerentur, quorum se amicitia dedisseut: Si  
quid iis per vim accideret, aut eundem casum unā fer-  
rent, aut sibi mortem consciscerent, uti refert Julius  
Cæsar *Lib. 3. de bell. Gallic. c. 23.* jungatur idem *lib. 7.*  
*c. 40.* Atque ita sentiunt Fr. Connarus *lib. 2. jur. civil.*  
*c. 9. n. 5. seqq.* & Choppinus *de Comm. Gall. consuetud.*  
*p. 2. §. 4. n. 4.* Nonnulli etiam populorum Asiaticorum  
& Japonensium instituta respiciunt, uti Lud. Molina. *de*

B

*just.*

*just. & iur. tr. 2. disp. 10. n. 9. Conf. Maurit Disp. feud. 1.  
pos. 5. Alii alias defendunt sententias. Vid. Stephan,  
Forcatulus *in tract. de feud. c. 1. n. 10.* quem refutat Hul-  
dericus ab Eyben. in *Elecet. Feud. Disp. 1. th. 1. lit. c.**

*Refutantur  
opiniones  
haec tenus  
adductas.*

¶. III. Sed omnes haec tenus adductas interpre-  
tum opiniones si ad veritatis trutinam expendere volo,  
nihil aliud in illis comprehendendo, quam argumentum  
à simili, ubi quidem aliquam inter leges beneficiarias &  
Romanorum Gallorumque instituta similitudinem esse  
non nego, à similitudine tamen ad originem argumen-  
tum valde est fragile, quin quod magna adhuc diversi-  
tas atque discepantia ibidem reperiatur. Et sane qui  
in alicuius rei exquirendis originibus desudat, non tam  
ad ea, quae alii quoque negotiis communia, sed potius  
ad illa quæ eidem essentialia ac propria sunt, & quomo-  
do ab aliis institutis discrepant ac discriminantur hæc  
jura respicere debet. Utique ex Romanis legibus  
non esse deducendas feudorum origines, vel indè  
fatis constat, quod Obertus de Orto feudalia placita  
ex consuetudine manasse, nihilque cum Romano jure  
commune habere hanc obscure innuat in *2. Feud. 1.* Sic  
ergo limitatos agros feudorum instituto causam dedis-  
se, exinde resellitur, quod pleno dominii jure, & ad hæ-  
redes quoque transitorio ita prædia militibus fuerint  
assignata, feudalia vero beneficia, ab initio saltim, fue-  
runt temporaria, nec ad hæredes trasitoria, imo & pro-  
prietas, hodie etiam, eorundem domino salva remanit;  
Neque meliori successu quis ad clientelas provocaverit,  
cum feudale jus in prædiis & rebus soli propriè constat,  
patronorum vero ac clientum jura mere persona-  
lia fuerint, imo Vasallorum officia ad bellicas expeditio-  
nes,

403

nes, clientum verò ad pacis tempora & civile obsequium spectent. Militiae in eo diversam habuerunt naturam, quod jura personalia fuerint, quæque alienari & ad extraneos quoque devolvi potuerint. *I. penult. §. 3. de leg. 3. I. ult. C. de pign. jungatur I. un. C. si. liberal. Imper. soc. fin. hered. dec.* Quæ omnia in feudis secus se habent. Differentiae inter feudatarios & Colonos sunt obviae, cum hi non ad fidem Vasalliticam, sed arctiori lege dominis sint obstricti, ita ut propè servilem conditionem in multis induisse videantur. Stipendiaria prædia in eo aliam præ feudis habent naturam, quod non servitia militaria, sed stipendum & tributum generent, & insuper pleno dominio non inæqualiter inter concedentem & possessorem diviso, possideantur. Homines Cujacii servilis fere fuerunt conditionis, nec ad militiam adspirare potuerunt, cum tamen feudale institutum totum militare sit. Soldurii plane diversissimi fuerunt à Vasallis, dum non habuerunt prædia, adeoque planè obligatio & fidelitas respectiva cessat. A Japonenfium statutis originem feudorum deducere velle absurdum fore, quamvis eadem in genere similitudinem quandam cum feudis habere, non repugnet, licet specialia de iis adhuc nobis lateant. *Conf. Carol. Molinaeus in Comment. ad Consuetud. Parisiens. tit. 1. n. 3. seqq. Heigius L. 1. qu. 1. 54. seqq.* Obrechtus disput. feudal. c. 2. Itterus de feud. *Imper. c. 1.*

*¶. IV.* Cum cordatoribus ergo JCtis potius ar. *A Germanis* bitror, ex Teutonicæ gentis jure ac moribus originem feudorum repetandam, ab eâq; gente ad alios quoque popu- *origo feudo- rum repe-* los forsan beneficiorum horum naturam traductam esse. *tendit.*  
Quod rationibus haud inanibus corroborare possum.

B 2

Nam

Nam Germanicarum rerum historici soli feudorum faciunt mentionem, & si ante Germanos etiam apud alios populos feudorum observantia fuerit, ex incorruptis monumentis demonstrari posset & deberet, quā de re tamen altum est silentium, neque in vetustis aliarum gentium legibus quicquam de feudis sancitum dispositum; leges. Nomina quoque ipsa atque formulæ in jure feudali expressæ magna ex parte sunt Germanicæ, quæ proinde, ut partus de matre satis restantur. Conf. Hottoman. de verbis *feud.* Marquard. Freher. *Comm. ad Conf. Caroli III. de feud.* Loccenii *Lexicon feud.* per tot. Ex. gr. *Marcha, hostendicio, investitura, felonía, allodium, feudum, moraganatica, guardia &c.* Quæ & sexcenta alia nomina Teutonicæ propaginis esse, ultrò intelligitur. Imò, feudorum institutum Germanorum indoli, quam optimè convenit. Hi enim nimium quantum bellis fuerunt dediti, ut ex Tacit. *de morib. Germ.* patet, principesque amplio comitatui studuerunt, quem ex bello aluerunt, & ex bello conduxerunt. Ita enim Tacitus: *Infame in omnem vitam ac probrosum, superstites Principi suo ex acte recessisse.* Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloria ejus affignare, precipuum sacramentum est; Principes pro victoriâ pugnabant, Comites pro Principe. Quæ verba indicant, quod Germani Principes habuerint Comites, qui ipsis, fidelem in bellis exhiberent operam. His fidelibus, credibile est, quemadmodum etiam feuda tanquam singulare institutum militare in Germaniâ reperiuntur, concessa postea fuisse à Principibus prædia, tūm in propriis, tūm in occupatis bello terris, sub conditione fidei & servitii militaris. Conf. 2. *Feud.* 22. 23. in fin. st. in fin. Dn. Struv. in *Syntag. jur. feud. c. 1. aph. 3.* Hinc Frits olim

olim exclamarunt. *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Tacit 13. annal. 54. num. 5. Quod si veteres quoque historias inspiciamus, in illis ferè locis tantum, quos vel Germani peragrarunt vel primum infederunt, feudorum jura recepta esse, apparebit; Hinc in Hispania, quo pedem ipsi, ut sedent ibi ponerent, non intulerunt, nullus omnino aut ferè nullus feudorum usus hodiè existit. Ut taceam, nec illud leve esse argumentum, quod multa juris feudarii capita non Romanis, sed Germanicis legibus originem debeat, adeò ut ubi feudorum indoles diversitatem nullam indueret, nihilominus à jure Romano recessum fuerit, uti, quod de liberis ex matrimonio ad morganaticam contracto natis in 2. Feud. 29, dispositum est, nec non quod feudum non nisi 30. annorum possessione prescribatur. 2. Feud. 9. §. 1. 2. Feud. 26. §. 1. quis. Quod intra annum & diem investitura renovanda sit, 2. Feud. 24. 2. F. 52. §. fin. Et si quæ aliae similes notæ sunt, à Germanorum institutis profluxerunt; Juri vero Romano non incognita tantum, sed etiam ejusdem principiis planè adversa sunt. Conf. Giphian. de jur. feud. c. 2. num. 1. seqq. Rittershus. lib. 1. partit. feud. qu. 2. Bebold. in Thesaur. pract. voc. Echm.

§. V. Quoniam autem populi Germanici diversis nominibus appellationibus aliisque ratione à se invicem discreti fuere, feudaque uno eodemque tempore inventa & usurpata fuisse, fidem meam superat, inquirendum amplius, à quo populo speciatim ex Germanis, & quo tempore primi feudorum natales repetendi sint. Plerique ad Longobardos (quorum fabulatores Paul. Diaconum de Ges. Longob. & Otton. Frisingens. de ges. Frider. largiter reprehendunt Ph. Cluverius lib. 3. Germ. B. 3

*Et in specie à Francis.  
Quod probatur.*

antiq.

antiqu. c. 26. & Eric. Puteanus lib. 2. Hist. Insbr. c. 3. num.  
 7. in not. p. 146. Qui in Marchiā mediā Brandenburgica  
 inter Albim & Vladrūm eosdem collocandos ostendunt;  
 Philipp. Melanchton verò lib. 3. Chron. in princ. sedem  
 eorum fuisse è confluente Albi & Sala in ripa Albis occi-  
 dentali, quæ nunc est regio Magdeburgenſis & Halber-  
 stadienſis, exſtimat) primam feudorum institutionem  
 referendam eſſe contendunt. Clarus in §. feudum. q. 1.  
 Duar. de feud. c. 3. num. 4. Nicol. Intriogol. 2. q. 3. n. 20.  
 Fachin. 7. controv. jur. 1. Gryphiander. de VViechbild.  
 Saxon. c. 49. num. 2. Quibus propter ea ſubſcribere non  
 poſſum, quod antiquior adhuc in aliorum Germaniæ po-  
 pulorum historia beneficiorum feudalium mentio occur-  
 rat. Scil. multis retrò ſeculis feudorum uſum apud Fran-  
 cos extitifle, monumenta historicorum me edocent, unde  
 tamdiu Francos pro primis Feudorum autoribus &  
 conditoribus haberi par eſt, donec certius & ſpecialius  
 quid de aliis populis nobis innotuerit. Vid. Mauritius  
 in coroll. de princ. jur. publ. & in pos. feud. dec. 1. pos. 5.  
 Aimon. lib. 1. de reb. Geſt. Franc. c. 14. Aureliano enim  
 duci Miliđunene Caſtrum nexu feudalī à Clodovæo,  
 qui circa fin. ſeculi V. maxime floruit, attributum eſt;  
 Aimon. c. l. qui addit: Unde cum Clodovæus regnum  
 ſuum uſque ad ſequanam, atque poſtmodum uſque ad  
 Ligerim fluvios ampliaſſet, Miliđunum caſtrum eidem  
 Aureliano cum totius ducatu regionis beneficij jure con-  
 ceſſit. Crebra quoque in LL. Francorum ſub Mer-  
 ovingica & Carolingica familia latiſ ſequit Vassorum &  
 Vaſallorum mentio. Quin & Francici regni cunabulis  
 paſſim celebrari regios Lendes ſive Leodes ex Gregorio  
 Turonenſi lib. 8. hiſt. c. 9. & lib. 9. c. 20. Aymonio lib. 3.  
 c. 81. &

c. 81. & Fredegario c. 87. deduxit Alteserra de orig. feud.  
 c. 1. Jam vero Leudes nihil aliud erant quam fideles, qui à rege prædia tenebant sub lege fidei & servitii, qui postea Vassí sunt appellati. Bignon. ad form. Marculphi lib. 1. c. ult. p. m. 928. edit. Baluz. Hinc : Leudes illi qui domino Guntheramno post transitum domini Cholotarii sacramenta præbuerunt. Turon c. l. & Appendix. Gregor.  
 c. 54. Chlotarius cum proceribus & Leudibus Burgundie Trecassinis conjungitur. Leudes Barones quoque comprehendunt & pro Synonimis olim reputabantur. Id  
 c. 41. Burgundia barones vero tam Episcopi quam cæteri leudes timentes Brunichildem Conf. LL. Visigoth. lib.  
 4. tit. s. c. 1. Nomen Vassí quoque Francicum est ; Leges quoq; multas feudorum, uti legem commissi ob feloniam &c. ex antiquis moribus Francorum idem Altesera probavit.

§. VI. Formulas insuper veteres apud Francos Ulterius olim usitatas Marculphus Monachus Clodov. II. Dag<sup>o</sup> probatur berti filio coævus, circa annum Christi 660. collegit uti Francis originem Feudorum esse adscribendam.  
 Bignonius in prefat. ostendit, ex quibus jam antiquis ginebrinum tempore feudorum institutum Francis cognitum atque usitatum fuisse, cognoscitur, siquidem has formulas Marculphus, prout easdem apud majores suos juxta consuetudinem loci, quo degebant, didicit, jam fere sexagenarius conscripsit, uti ipse memorat in prefat. Sic in lib. 1. c. 12. villæ distinguantur in eas, quas donator munere regio & quas ex alio parentum habebat, ubi Bignonius ad verb. munere regio. notat: i. e. querit beneficium regis, quod postea feudum dictum est. Conf. Form. Marculph. lib. 1. c. 3. & 33. Imo in lib. 2. c. 17. differte Vassorum fit mentione; Vassí vero sunt illi fideles, qui servitium militare exhibent,

hibent. Sic LL. Alem. tit. 36. 4. Qualisunque persona sit aut Vassus ducis aut Comitis, & tit. 79. 3. Et dominus ejus duodecim Vassos infra domum habet. Leg. Bajuvart. c. 2. tit. 15. Sive regis Vassus sive ducis, omnes ad placitum veniant. Capit. lib. 2. c. 24. Vassi & Vasalli nobis famulantes. Lib. 3. c. 64. In comitatu Drudorum (i. e. fidelium à Germanico Drovv sive Treue fide) atque Vassorum. Et in lib. 4. cap. 4. est: De Vassis nostris, qui ad Marcham nostram constituti sunt custodendam, aut in longinquis regionibus, sua habent beneficia. Ex quibus omnibus satis abunde patet, Francis primam feudorum originem esse adscribendam, quos populi vicini, utpote Bavari, Saxones, Suevi, Burgundi, Gothi, & Longobardi sunt secuti tali modo devincendi comites in militia. Conf. Carol. Molin. in Consuet. Paris. tit. 1. in pr. n. 1. & 13. Knichen de jure territor. c. 1. n. 104. Saxones verò feuda in Angliam transtulisse exemplum de Ælfrido M. anglorum rege testatur, qui obiit circa annum 901. testamentumque condidit, in quo legitur: Alterum feodium, quem ego Egulfo dedi usque ad certum tempus. Et postea: Etiam volo, quodsi ego alicui dedi vel feodium aliquem ad tempus accommodavi, quod ille meis cognatis vel suis illud ostendat. Vid. testamentum hoc à Camden. edit. & Johan. Spelman. de vita Ælfredi M. Append. 2. Longobardos vero modum constituendi beneficia feudalia etiam in Italia stabilisse, ipsum jus Longobardicum satis edocet.

*Franci fuerunt genuini, na gens Germanie.* §. VII. Actis verò adhuc residet quæstio: An Franci, (qui Gallias tandem subjugarunt) sint genuina gens Germaniæ? Sanè Bodinus eos non Teutonicæ sed Gallicæ propaginis esse, evincere conatur, sed nulla profusa ratione

ratione munitus ; quin potius in nudis terminis dici tota  
 ejus assertio consistit. Taciti quidem tempore Franco-  
 rum gens, adhuc nomine hoc incognita, sub Teneris aut  
 Chamavis tamen fortasse latitavit, Cluver. *Germ. antiq.*  
*lib. 3. c. 20.* Sequentibus tamen seculis ac Tertio à nato Sal-  
 vatore, societate cum Romanis contracta, jamtum no-  
 bilis natio innotuit, Trebellio Polione teste : *Contra post-  
 humum (legatum Gallieni in Gallia, quem Galli ad Impe-  
 rium vocaverant) Gallienus bellum incepit : Et cùm multis  
 auxiliis Posthumus juvaretur, Celticis ac Francis in bellum  
 cum Victorino processit.* Gregor. Turon. *lib. 2. Hif. c. 9.*  
 Quare cum Chamavi, Ansivarii, Chatti, Chauci, Ampsi-  
 varii, Cherusci, Bructeri ipso Francorum nomine com-  
 prehensi fuerint; Cluver. *cit. loc.* Universæ Franciæ fines  
 partiri facile erit. Scilicet à septentrione Oceanum Ger-  
 manicum habebant, à meridiè Alemanniam & Sveviam,  
 Ob occidente Rhenum & Gallias, ab oriente Albim &  
 Salam. Vid. Hadrian. *Vales. in prefat. ad gesta veter. Fran-  
 cor.* Ne vero testimonii ad evincendum, Francos verè  
 Germanos fuisse, destitutus videar, adducam autores  
 eorum ortui proximos. Hieronym. *in vit. Hilar.* apud  
 Aymon. *de gest. Franc. lib. 2. c. 10.* ait : *Inter Alemannoſ &  
 Saxones, gens, non tam lata quam valida, apud Historicos  
 Germania, nunc vero Francia vocatur.* Marcellinus, qui  
 sub Constantio & Juliano vixit, hujusque expeditioni in  
 Francos interfuit, *lib. 17. c. 18.* ait : *Francos ausos olim in  
 Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere  
 prælicerent.* Jam autem Romanum solum in Galliis  
 usque ad Rhenum fuit. Idem *lib. 20. c. 10.* de Juliano di-  
 cit : *Rheno exinde transmisso, Regionem subito pervasit  
 Francorum.* Hec ergo in Germania fuit. Idem *lib. 27.*

et.8. Francos & Saxones Gallicanis tractibus confines fuisse,  
& eos quo quisque erumpere potuit, violasse &c. Sic ergo  
Gallis ad Rhenum fuere confines, non fuerunt ipsi  
Galli.

Demonstrat-  
tur porro  
Francos  
fuisse Ger-  
manos.

§. VIII. Procopius qui sub Justiniano vixit, de  
bell. Goth. l. 1. ait: *Franci quondam Germani vocabantur. Et*  
*de bello Vandali lib. 1. ait: Vandali fame presi in Germanos irruunt, quin nunc Franci dicuntur, simulque Rhenum*  
*trajecerunt.* Agathias de bello Gothicō lib. 1. tradit:  
Francos hos, veteres esse Germanos, dixerat, quod utique ex  
eo satis liquet, quod citra Rhenum habitant, & huic pro-  
pinquas incolunt terras, Galliarumque maximam possident  
partem, non propriam, sed vi postmodum occupatam.  
P. Ämil. in annal. Francor. lib. 1. in princ. hujus manife-  
stam fidem esse dicit. Maffon. in prefat. annal. ad ipsum  
Regem Gallorum Henricum III. inquit: *Francos, ubi ē*  
*Germania in Galliam venisse, ostendero, res gestas dece-  
fitorum tuorum exponam.* Confer. Pontan. de Orig. Francor.  
lib. 2. c. 3. Schönleben de origin. dom. Austr. part. 1. pro-  
leg. c. 7. §. 1. p. 84. Cluver. lib. 3. Germ. antiqu. cap. 20.  
Cumque certum sit, Sicambros esse veros Germanos, dum  
in bellis contra Romanos satis clari fuerunt; Cæsar de  
B. G. l. 4. c. 4. & lib. 6. c. 7. Sueton. in August. c. 21. Tac.  
II. annal. 26. satis quoque certum est, Francos esse veros  
Germanos, dum Franci Sicambri fuere, quod demon-  
strat Pontan. cit. loc. & ex alloquio Remigii Episcopi er-  
ga Clodovæum Franciæ Regem baptizandum patet:  
*Mitis depone colla, Sicamber, adora, quod incendiisti,*  
*incende quod adorasti.* Sunt & Franci Ansvarii & Salii  
dicti. Marcell. lib. 17. c. 28. & lib. 20. c. 10. Quostamen  
Germanos fuisse liquet. Flor. lib. 3. c. 20. Tacit. 13. annal.  
c. 55.

c. 55. Separantur quoque Galli à Francis ab ipso Carolo  
M. in Capitular. lib. 6. c. 281. Conf. latè Pontanus cit. loc.  
Naucler. Vol. 2. Gener. 13. & 27. Illustrit. Dn. Coccejus in  
in jur. publ. prud. proleg. §. 21. seqq.

§. IIX. Cum igitur satis sit evictum, Germanis primogeneā feudorum originem esse adscribendam, nec dubitandum, eosdem quoque specialia jura circa feuda constituisse. Quemadmodum verò aliae eorum, uti Francorum, Ripuariorum, Bajuvariorum leges potissimum de criminalibus & poenis tractantes, ab initio fuerunt jus consuetudinarium, Theodoricus autem Rex Francorum in scripturam redigi fecit; Childebertus Rex emendavit, Clotarius Rex perfecit, Dagobertus denique Rex A. C. 630. renovavit, & tandem inter Capitularia Regum Francorum cernuntur; Ita etiam Germanorum ius feudale in meris consuetudinibus positum ab initio fuisse, est quod credam, in primis cum tralatitium sit, ante Carolum M. artem scribendi, in specie Alemannos (qui quidem in genere Germanos omnes complectuntur, in specie verò partem meridionalem Germaniæ inhabitarunt, quæ nati imperium, das Reich vocatur, tenditque ad alpes Italicas & Gallicas, adeoque Helvetiam, Sueviam, Rhaetiam, Franconiam, Hassiam, Bavariam, Austriae, & alias eodem jure utentes provincias incoluerunt; Freher. in not. ad orat. dom. Alem. Schilter. in prefat. ad Codic. jur. Alem. feud. §. 4.) usum scripture in lingua Germanica ignoras. Postea verò duo extiterunt Codices, in quos hæ consuetudines fuerunt relatæ, sc. juris Saxonici & Alemanniæ, quorum prior ab Epkone à Repkovi, posterior juxta Goldast. in Prefat. der Reichs-Sakungen à Bertoldo Comite de Grim-

*menstein compilati creduntur.* Quæ sane juris utriusque partitio id effecit, ut Germanorum Imperium in duas majores partes fuerit divisum, quas Vicariatus dicimus, eo quod Duo PALATINI quorum alter Saxo alter ad Rhenum, vices Imperatoris vacante Imperio gerant & partitim Imperium gubernent. Sic Carolus IV. in *Aurea Bulla c. 5.* ait : *Quoties Sacrum vacare contingit Imperium, Illustris Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Suevia, & in jure Franconico ratione principatus, seu Comitatus Palatini &c. Et eodem jure provisionis Illustrem Ducem Saxonias. I. Archimareschallum, frui volumus in istis locis, ubi Saxonica jura servantur.*

*Sunt etiam constitutiones à Carolo M. circa feudorum materiam fuerunt promulgatae, & interne quadam circa materialem promulgatae. Acrecht Puch. Sicuti in Codice juris provincialis habetur cesseruntque Hie hebt sich an des Sälichen Koenig Karls Landrecht Puch. quadam ad Quamvis cum in Codice juris Alemanni, in principio Regum reperiatur mentio, ibi : VVer Lehnrechte v wissen und kuennen vuelle, der volge dies buchs lere allererst, fullent vir mergken vwas die Kunig hant gesetzt : probabile est subsecutos quoque Reges & Imperatores jus feudale suis Constitutionibus auxisse. Accesserunt deinde ad ius Alemannicum res judicatae in unum volumen cum jure Constituto collectæ, donec tandem in Comitiis Imperii Norimbergæ celebratis, ista collectio more majorum populo rogato, Imperiali autoritate promulgata*

ta fuerit. Nomen Imperatoris imperitia Amanuensis est omissum; Probabile tamen est, tempus incidere in vitam Ottonis IV. & annum 1208. Vid. Schilter c. loc. §.  
 25. Ex quo patet, obtinere jus Alemannicum feudale vim legis ex auctoritate tum constituentium, tum promulgantium, nec minus ex modo constituendi; Cumque Rudolphus I. anno 1287. Heribaldi & anno 1291. Spirae Constitutionem promulgaverit, quā leges patriæ confirmatae, & mores ac consuetudines cuiusque regonis. Lehmann. Lib. V. Chron. Spirens. c. 108. Ab ejus temporibus Codicem hujus juris feudalis Pergameno inscriptum in perpetuo usu regiminis Austriaci fuisse testatur P. Lambecius in Biblioth. Vindobon. lib. 2. c. 8. p. 825. Editiones hujus juris Alemanniæ feudalis (Nam Saxonicum feudale ex MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi reperio, publici juris fecit Dn. Schilterus) quedam extant; Prima Argentorati prodiit opera Hupfii anno 1505. Altera ad instantiam plurium ex nobilitate Germanica lucem adspexit 1561. cura Sebastiani Meischneri JCti & Prof. in Acad. Heidelbergensi postea Assessoris Cameræ Imperialis sub titulo: *Kayserlich und Königlich Land und Lehnrechte / Sachung / Sitten und Gebrüche / wie unsere Deutschen &c Tertia recusa Francofurti ad Mœnum A. 1566. Tandem opera Dn. Schilteri iterum prodiit Argentorat. An. 1696.* Ita jus hoc collectum Germanis nostris placuit.

§. XI. Quæ sit indeoles, visis jam legibus, Feudorum in Germania, & quomodo jus tam Saxonum, quam Alemannicum feudale à jure Longobardico differant, ulterius esset dispiciendum, nisi ad alias curas materia hæc potius pertineret & extra cancellos præfentis

*Pro fundamento est  
observandum, Germaniam  
olim in VII*

*magnas tis disputationis foret. Hac vice ergo feuda Germanie, Provincias Imperi statibus in Germania viventibus propria & ab fuisse divisam Imperatore & Imperio dependentia, attingam. Ubi ante omnia observandum, Germaniam olim in VI. magnas provincias fuisse divisam, nimurum Vandaliam, Moraviam, Saxoniam, sub qua Thyringi, Franciam, Sueviam, & Bojoariam. Francia media fuit inter Sueviam & Saxoniam; Suevia comprehendit Franconiam, Helvetiam & in Austrum Alpes. Saxonia ingens fuit tractus & dimidia ferè pars Germaniae, in septentrionem Oceano Germaniæ finiens. Omnesq; hæ terræ in Occasum vel Rheno vel Oceano prætexta fuerunt. Bojoaria omne Noricum & Austriam, & quicquid eâ parte Germaniae accessit, complexa est. Terra vero Moravice ac Vandalice ad montes Sarmaticos, Vistulam & Mare, fines Germaniae pertingunt. Illustris Dn. Coccejus in jurispubl. prud. c. 2.*

*Agitur in  
specie de  
Moravia*

§. XII. MORAVIA à gentibus Slavicis orientalibus fuit possessa, agnōvitque Imperium Germanicum, ita tamen ut sub suis ducibus & suo jure viveret. De Dania testatur Æn. Piccol. Cardinal. de stat. Eur. sub Frid. III. Dania, ait, Germaniae portio est. Consentient annales οὐρανού. Witech, ann. lib. 1. Bremens. lib. 1. c. 28. l. 2. c. 27. Frising. Chron. lib. 7. c. 19. Regem Daniæ Lothario in signum subjectionis gladium sub corona prætulisse, refert Radev. de gest. Frid. 2. c. 24. Couring. de fin. Imperii l. 1. c. 14. De Bohemia est in Aprico A.B. tit 8. 9. 10. 11. Goldest. Reichsatz: part. 1. ad ann. 1212. & 1290. fol. 30. & 31. & ad ann. 1355. f. 160. De Polonia testes sunt Pastor. Hist. Pol. lib. 2. c. 8. §. 1. Gold. Reichsatz p. 2. ad. ann. 1355. fol. 44 & 45. Dithmar. Chron. lib. 2.

lib. 2. pag. 25. & alii passim. Helmold. *Chron. Slav.* l. 1.  
c. I. Conring. *de fin. Imper lib.* 1. c. 13. Non tamen gen-  
tes Scлавie jus civitatis Germaniax acceperunt. Sic  
Æneas Sylv. Hist. Boh. c. 13. Hungari, Bohemi, Russani,  
Polonique Moravorum principi paruerunt, Princeps ipse  
Romano Imperio. Helmold. *Chron. Flav.* l. 1. c. 1. at:  
Polonia servit & ipsa sicut Bohemia sub tributo Imperato-  
rie Majestati. Et Autores antea citati fere omnes.  
Hinc Bohemia, Silesia, Moravia, Lusatia & Misnia  
quoque nec hodie comitiis Imperii intersunt. Confer:  
Sinold. Schütz. *de jure publ. lib. 1. tit. 8. pos. 4.*

§. XIII. VANDALIAM possederunt Venediseu *In specie de*  
Slavi boreales, & tenuere omnem propè oram mariti- *Vandalia.*  
mam inter Vistulam & Albim. Helm. *Chron. Slav. lib. 1.*  
c. 1. Quin per Magdeburgum, Halberstadium &c. Vi-  
surgim uique, ut tradit Cranz. *Vand. lib. 2. c. 21.* Agno-  
veruntque Imperium Francorum, adeò, ut Carolus M.  
illis *cen antiquissimis Francorum sociis* Saxorum expulso-  
rum sedes donaverit. Avent. *Annal. lib. 4. fol. 296.* (cum  
his tamen non sunt confundendi Wilzii, qui cis Viadrum  
littus colebant, Helm. c. loc. c. 2. & quos Carolus M.  
armis domuit, Eginh. *in vit. Carol.*) Deinde verò Slavi  
ab Henrico I. Wittech. *ann. l. 1.* Ottone I. Helm. l. c. 9.  
Ottone III. Brem. *desit. Dan. l. 2. c. 3.* Conrado II. Brem.  
d. l. c. 39. aliisque domiti, donec tandem propè ejecti,  
Germanaeque coloniae substitutæ sunt. In hac provin-  
cia Vandalica Henricus I. Marchiam Brandenburgicam  
constituit, quæ adeoque juris Germanici origine est.  
Witech, σύγχρονος *Annal. lib. 1. circ. fin.* Et cum Mar-  
chio Brandenburgicus à cæteris Marchionibus (quibus  
hoc

hoc nomen tantum nudum officium attribuit, quo non  
mutatur status, ne dum origo civitatis, adeoque mansere  
tales gentes juris Sclavici, uti testatur Misnia & Lufatia) in eo differat, quod ille jure proprio tanquam Dux  
Provinciae **ein Marchi Herzog** Marchiam Brandenburgi-  
cam ut justum Ducatum, quatuor Marchiis constantem,  
tenuerit, nova proinde civitatis forma constituta &  
introduceda, adeoque novus Ducatus juris Germanici factus  
est, Marchioq; Brandenburgicus propriâ potestate, ut ipse  
Henticus I. provinciis suis praeerat. Hinc in monumen-  
to Geronis Marchionis II. legitur. *Obiit Illustrissimus Dux*  
& *Marchio Gero.* Meibom. *Rer. Germ. tom. 1. fol. 703.* Et  
reliqui Slavorum Principes Serenisl. Brandenburg. Mar-  
chionem, ut primarium provinciæ Ducem, agnoverunt,  
adeo, ut officii causâ in ejus aulâ inter aulicos esse con-  
sueverint teste Crantzio *Vandal. lib. 7. c. 35.* Ut ta-  
ceam: ipsum! Archi-officium, quod habet, idem con-  
firmare, Primislaum Wendorum Principem se Regem  
Brandenburgicum scripsisse, Marchionem Stadensem Va-  
fallum Marchiæ Brandenburgicæ fuisse; Quin imò fide  
atque autoritate Excellentissimi Dni **Ludwigs** S. R. Maj.  
Boros. Consiliarii & P. P. O. in Acad. Hallens. &c. Pra-  
ceptoris quondam mei æstumatisissimi munitus, in Archivo  
Magdeburgico extare diploma, affero, ubi subscriptis sit:  
*Dux Brenneburgicus.*

*In specie de  
Bojoaria.*

§. XIV. BOJOARIAM à Bojis sive Bavaris pos-  
sessam, hodiernum circulum Bavanicum, uti & Noricum,  
scil. Austria, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Tyro-  
lim &c. ambitu suo complexam esse, fide historicorum  
sum edocitus. Megis. *Carint. lib. 1. c. 1. f. 3.* Hosque Bo-  
jos diu ante Regem Adalgerionem Reges alios habuissic,  
longis-

longissimâ serie Gabriel Bucelinus in *Stemmatograph.* demonstrat, imò à famosissimo Rege Agilolfo, qui diu ante vixit, regalem familiam Agilosungicam dictam, in vulgus notum est, ut adeo Avent. in annal. Boj. hac in re veritas latuerit. Ipsum verò memoratum Regem Adalgerionem Clodovæus M. Rex Franciæ prælio Tolbiaciensi vicit, Bavariamque Regno Francico univit. Avent. d. tr. lib. 3. in pr. Feedere tamen tantùm inæquali largiuntur Brunnerus & Adelsreiterus de Bav. Crus. Annal. Suev. part. 1. lib. 8. c. 9. *Conditiones*, ait, he fuere, ut Boji de corpore suo, ubi opus esset, Regibus Francorum autoribus Principem legerent, quem tamen non Regem sed Ducem appellarent; in bellis auxilio Francis essent, eosdem cum iis habendo pro hostibus & amicis, ceterum suis institutis & moribus liberè viverent. Mox autem post Clodovæum pristini erga Francos obliti sunt obsequii Boji, quos tamenad pristinam reduxit obedientiam Pipinus, & jure feudi Bavariam Thassiloni concessit. Hinc in Fragm. ann. Franc. ad ann. 787. regis Vassus, & in Continuat. Ay-moin. ad ann. 757. Regis Vassaticus, dicitur; Et in LL. Bajuvar. antiquis à Lindenbrogio editis tit. 2. c. 20. §. 3. Disponitur: Ducem debere esse de genere Agilosungorum qui fidelis esset Regi; Cumque Tassilo iterum fidem falteret, à Carolo M. damnatus & omni potestate exutus, provinciaque ipsa per Comites administrata est. Deficientibus verò in Germania Carolingis Arnulfum ex Agilosungica familia Regem sibi crearunt. Avent. lib. 4. Annal. fol. 290, qui adversatus Conrado I. qui electus erat à Francis & Suevis, pacem tandem cum Henrico I. fecit, retentâ Bavariâ cum omnibus populis & juribus, ita tamen ut regium deponeret titulum & Imperatori cum mi-

D litibus

litibus præsto esset. Megis. lib. 6. c. 79. Adeoque iterum liber ducatus fuit, omnibus suis provinciis constans, donec tandem sub Henrico Leone, Austria, cæteræque ditiones Bavariae detraæta, & in varios Duces statusque divisa; Ipsa Bavaria verò quæ nostro tempore Eleætoratus dicitur, Ottoni Illustri, (An per nexum feudalem an jure postliminii? Mihi hæc quæstio hic sacra esto) data est.

*In Specie de  
Suevia.*

§. XV. SUEVIA, inculta à Suavis, Suevis, qui varia nomina habent, uti Longobardi, Senones &c. Vid. Tacit. 2. Annal. 45. & de M. Ger. c. 39. &c. 40. Magna pars Germaniæ fuit, ità ut tanquam à potiori tota Germania Suevia dicta fuerit, ipsique Suevi Alemanni appellati sint. Sic P. Diac. in vit. Maurit. Iste ex Suevorum, hoc est Alemannorum gente oriundus, inter Longobardos creverat. Walafrid. Abb. Aug. de Vit. S. Gall. in proleg. Alemanniam vel Sueviam nominamus. Omneque latus Orientale à mari Baltico tenuerunt. Tac. de morib. Germ. c. 45. Vix ergò quarta pars est pristinæ Sueviæ, quæ hodiè hoc nomine nobis venire solet. Hinc Balticum mare Suevicum audit. Quamvis eum Suevia gens colonias in Hispaniam, Galliam, Italiamque miserit, arctioribus paulatim & latenter terminis limitibusque inclusi fuerunt. Regibus Suevia semper fuit gubernata, qui continuarunt usque ad Alaricum, ab aliis Ermericum dictum, quem Clodovæus M. famoso apud Tolbiacum prælio occidit, & Sueviam Helvetiamque Germaniæ univit, non ut proprio jure magistratique uteretur, sed fisco regio immediate adscripta esset. Crus. Suev. Annal. p. lib. 8. c. 9. P. Æmil. de reb. Franc. l. 1. in Clod. 1. Eckard jun. de Casib. S. Gall. c. 1. disertè ait: Nondum adhuc in illo tempore Suevia in Ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat,

*bat, sicut hodie & Francia.* Quod tamen jugum abjicere tentarunt Suevi Luidfrido duce, sed à Carolo Martello perdoniti, in eo statu sub Carolingis mansere. Post Carolingos Conradi I. assensu, Suevi Burchardum Ducem elegerunt, quem tamen Henricus I. forsan quod ex grè tulerit territorialia jura à Sueviæ Duce possideri domuit; Postea tamen, eundem iterum ducatum, eo jure, quo & ipsi Saxones in suo ducatu tum utebantur, tenere passus est. Hæc Ducum successio duravit usque ad Conratinum, quo nefarie occiso, divulsus est ducatus Sueviæ & totus in plurimos status divisus, quorum succedente interregno firmata sunt jura.

§. XVI. SAXONIA Frisios, Furm. *Annal. Fris.* In specie de lib. I. c. 9. Kempis. *de orig. Fris.* lib. I. c. 9. Wolter. in *Saxonia.* Chron. Brem. in princ. apud Meibom. tom 2. script. Germ. Saxones strictè dictos, adeoque utriusque populi sedes fuere in littore Oceani à Rheno usque ad confinia Danorum. Cambden. in Britt. tit. *Anglo-Sax.* p. 100. Frisiorum sc. in occasum, Saxonum boream versus. Furmer. d. l. c. I. ) Thyringos: Sigfr. Presb. lib. I. p. Æmil de reb. gest. Franc. lib. I. in Childeb. I. ( quorum cæso ultimo rege Hermenfrido, in bello, quod Theodosius Franciæ Rex Saxonum strictè sic dictorum ope cum eo gesit, hi universam provinciam occuparunt, parte modica viatis Turingis relicta. Sigfr. Presb. d. l. Witech. *Annal lib. I.* Ursperg. tit. *de orig Sax. f. 148.* ut minores populos silentio præterea, complexa est. Divisa verò Saxonia fuit Cismarina (nam de transmarina sive Anglia hic non est quæstio) vel in transAlbinam, quo pertinet Holsatia &c. vel CisAlbinam, quæ est vel Occidentalis sive Westphalia, vel orientalis sive Ostfalia, vel inter utramque interme-

media sc. Angria. Hi sane termini latissime olim patuerunt. Conf. v. gr. de Westphalia Dn. Coccej. in jur. pub. prud. c. 9. §. 14. Qualis apud Saxones status fuerit docet Beda Caroli Martelli coœvus lib. 1. Hist. eccl. c. 11. Saxones regem non habent, sed Satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt equaliter sortes, ut quemque fons offendere, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur; Peracto autem bello rursus equalis potentie sunt omnes satrapæ. Witich. ann. l. 1. Crantz. Saxon. lib. c. 22. Knichen. de subl. terr. jur. c. 1. n. 17. seqq. Idque Wittekindo quoque accidisse, & Angriam duntaxat gubernasse, testatur Conring. Exerc. Acad. 4. Th. 11. Subactam quoque Saxoniam Carolus M. neque in ducatum erexit, neque fisco regio adscripsit, sed in pristinum statum ex populi liberrate & Optimatum administratione mixtum restituit, saltim ut populus Saxonicus unus cum Francis esset populus, sed suis legibus vivaret, adeoque regno mediate paruit. Bremens. Histor. Eccles. l. 1. c. 10. Eginh. in vita Caroli M. Westphalianum tamen Carolus M. Saxoniam derravit, & pedetentim in plerisque in immediatam regni provinciam rededit. Pulsis enim ultra Visurgim Saxonibus novas incolas induxit, qui immediate à rege terram acceperunt. Avent. lib. 4. fol. 206. Inter quos quoque fuisse Comites de Pyrmont. tradit Crantz. Saxon. l. 1. c. 22 Deinde immediatum illud judicium occultum ex consilio Papæ induxit, ut referunt autores apud Meibomium in Irmen. Sax. c. 12. itaque immediata regni judicia tanquam in terra immediata constituta sunt. Meibom. rer. Germ. tom. 3. fol. 32. Ipsa quoque terra à Carolo in 4. comitatus & totidem Episcopatus divisa, adeoque non proprio magi-

magistratu usa est. Meibom. tom. 2. fol. 19. & tom. 3.  
fol. 40. Conting. Ex. Ac. 4. §. 15. Et Saxonibus ultra  
Weferam fugatis, qui de iis manserunt, in servitutem  
redacti sunt, hæcque causa est tot servorum in illa regio-  
ne. Meibom. tom. 1. script. Germ. fol. 556.

§. XVII. Plutes interim sunt, qui negant, Saxo-  
niam ante Hermannum Billigium habuisse duces; sed *Saxonia ait  
habuerit* cum vocabulum *Ducis* duplicem admittat significatum, *duces?*  
primum, quo ducem belli & vicarium Imperatoris, alte-  
rum, quo dignitatem superioritatis annexâ potestate  
territoriali designat; Vid. Diatrib. Spelmanni *Glossar. suo  
inserta*, hæc quoq; controversia facile componi, meo judi-  
ciopoteſt. Sc. Imperatores Carolingici in priore significati-  
one Ducem Saxonia præposuerunt, quibus tamen tan-  
quam victoribus, extintis, hic Dux tanquam jam sui  
juris & nemini amplius subiectus, in posteriori sensu ple-  
nus territorii Dominus effectus est. Vid. Meibom. in *Vin-  
dic. Billing.* Billingio vere Ottonem M. non totam Sa-  
xoniam sed tantum partem ejusdem sc. Luneburgensem  
Brunswicensem, & Holsaticum tractum dedisse, adeo-  
que à Saxonia Magna distinguidam esse semper Saxo-  
niam Billingicam, docet supra laudatus Dn. Ludvig.  
*in Germania principe part. 3.* Quæ tamen confusio apud  
omnes historicos utramque facit paginam, & alias et-  
jam tota hæc historia innumeris adhuc scatet navi. Pro-  
scripto interim Henrico Leone, plures status à Sa-  
xonia avulsi sunt, uti Holsatia, Terra Anhaltina,  
Saxo-Lauenburgica, Lubeca &c. Vid. Dn. Coccejus *in  
Jpubl. prud. c. 3. §. 45.* Quamvis de Holsatia dubitemi,  
quod amplius Henrici Leonis patrimonii pars fuerit; Cum  
jam ante nos. Lotharius eandem à Saxonia avulserit, &

peculiaris Comite Adolpho von Schaumburg instruxerit. Vid. Danquerd. *in annal. Holst.* Cùm verò propter prætentam feloniam Henricus Leo proscriptus sit, hoc delictum ad bona allodialia extendi non potuit, hinc Brunsvicum & Luneburgum pleno jure recepit.

*In specie de  
Francia.*

§. XIX. Tandem pervenio ad FRANCIAM, quæ origo & matrix est Imperii Germanici, cuiusque fines supra attigi. Vixere verò Franci ab initio sub procuribus, quorum unus, qui præfuit, Dux Major, Major dominus, vel Praefectus Palatio dictus fuit. Eginhard. *in vit. Carol.* Trith. *de orig. Franc. apud Schard.* fol. 155. Item Comes Palatii. Aymon. *de Gesl. Franc.* Sed Anno 417. vel ut alii 420. Regem in se elegerunt Pharamundum Salicium. Onuphr. *de reg. Franc.* P. Æmil. *de publ. Franc. princ.* Idque antequam ullam agri partem in Gallia vel extra Germaniam posiderent. Etsi enim sèpè tentarint transire Rhenum, tamen semper sunt repulsi. Pontanus. *Orig. Franc. lib. 4. c. 11. &c. 12.* Quamvis seseculo ante electionem Pharamundi, Francorum Reges apud Scriptores memorentur, quorum fide ab anno 296. congesit eosdem Pontanos *cit. tr. Sib.* Merovæo verò ejusque filio Childerico demum cœperunt incolere Gallias. Onuphr. *d. l. P. Æm. d. tr. lib. 1. in Meroveo.* Et occupatam utramque Belgicam ac Germaniam cis-Rhenanam Franciæ Germaniæ ita univerunt, ut semper vera ejus pars ac provincia habita fuerit. Adeoque tū Regnum Francicum duabus constitutis provinciis unitis. Scil. (1.) Rhenensi, occupata parte Galliæ provinciaque Belgica (2.) Franconia. Deinde quoque occupata est tota Gallia, Germania, Hungaria, Italia, quod satis demonstrat Coccej. *d. tr. c. 5. sect. 1.* Denique autem indi-

413

— 31 —

in divisione filiorū Ludovici Pii, iterum separatae illæ sunt atque divisæ provinciæ, triaq; regna vastum regni Francici corpus genuit, sc. Gallicum quod Carolo Calvo cessit, Germanicum, quod Ludovico assignatum est, Lotharingicum, quod Lotharius adeptus. Tabulas divisionum Miræus in *Codice diplomatis Belg.*, Obrechtus & alii exhibent. Cæterum postquam regnum Franciæ novo titulo & in aliam familiam Carolingorum illatum, illique pleno jure ac in solidum quæsitum fuerit, imò cum hæc ipsa divisio accesserit, abolita est cum ipsis nominibus apud Merovingos frequentata Franciæ divisio in Austriam & Westrasiam sive Neustriam. Ut taceam, fatis robotis habere paœta Bonensia, ubi Galliæ Rex omne jus in Lotharingiam ac utriusque Belgii regiones in Henricum Aucupem ac posteros transtulit. Vid. Dn. Ludvиг. *Lotharingia Vindic.* c. i. §. 9. Sed hæc occasionaliter & in parenthesi dicta volo.

§. XIX. Deficientibus Carolingis in Germania electus est in Imperatorem Conradus Francicus seu ex nobilissima familia Herbipolensi oriundus, Conradi occisi filius, quo mortuo, Saxones bello conflixerunt cum Eberhardo Franco Conradi fratre, & Giselberto Lotharingiæ seu terræ Rhenensis Duce, quo hi potentiaë Saxonicaë impares prorsus profigati, miserè tandem periære; Et cum Saxones infensa sibi adeò familiæ Franciæ & Palatinae reliquias acriter persequerentur, desit fore utriusque memoria, quamdiu Saxones rerum potiti sunt. Interim Conradus Salicus (Quod fuerit ex familia regia dubito, quia alias *VVippo Biographus ejus & scriptor coævus* de eâ re non tacuissest, sed procul dubio jaætitasset hanc originem, Potius arbitror à Præfecto quodam fisco regio in Francia

*Quid in  
Francia fa-  
tum defici-  
entibus Ca-  
rolingis?*

Francia, qui *Camera nuncius* dictus, Eckard, jun. de *Caf.S.*  
*Gall.lib. 1.* originem traxisse) i. e. è terra Franciæ ori-  
undus ad regni fastigium evectus, illud ad familiam suam  
tres ordine Henricos transtulit, Ducatus Franciæ iterum  
effloruit, assertæque ei passim iterum provinciæ, quæ aliis  
nondum sib Saxonibus cesserant à Rheni ripa. Quod  
attinet Comitem ipsum Palatinum Rheni, in locum Ma-  
joris domus successit, & cùm curia & conventus regni  
haberentur in terra Rhenensi, curia verò idem signifi-  
cet ac Sala & Pallatum, *Pallasti/contractum Psalti* acci-  
piaturque locus pro ipso conventu regni; sane æquum  
fuit, non alium illi palatio præfici, quam ipsum provin-  
ciæ sc. Rhenensis ducem, Comes verò Palatii Regni, Dux  
provinciæ Rhenensis, & quidem sub Carolingis nudum  
vicariatus officium fuit, cum potestate uni versali juris-  
dicundi, coniunctum. Extinctis verò Carolingis major-  
rem adepti sunt potestatem, & in primis post Impera-  
tores Saxonicos quicquid servarunt, sibi servarunt, quasi ex  
incendio, præsertim cum reliqui Majores domus plures  
terras quasi patrimoniales arripuerint & sibi reservave-  
rint; Hinc Ducem provinciæ Rhenensis, hujus Palatii  
Comitem specialiter dictum fuisse, facile largior Illustri  
Dn. Coccejo *in Jpubl. præd. c. 3. Seçt. 6. §. 92.* Utpote  
pro quo fortissima est præsumtio, quod sacra Electoris  
scrinia ipsi patuerint. Henrici Leonis quoque, Conradi  
filiâ ductâ, adeoque jure connubii, successio in Palatina-  
rum, demonstrat, Principatum suissæ antiquum. Cæterum  
mortuo Henrico V. Franconia Ducatus Suevorum Du-  
cibus cessit; quibus itidem cum Conradino deficientibus,  
ille quoque Ducatus desit, & uterque in varia do-  
minia distractus est.

§. XX.

AIA

- 33 -

§. XX. Hæc VI. Provinciarum Germaniæ brevis enucleatio fundamentum est, quo jura Sacratissimum Electorum, Circulorum, Archiofficiorum secularium, comitiorum & in primis feudorum Germaniæ ac in genere principia totius juris publici inniti ac superstrui debent. Quod tamen paucissimi Publicistæ attendunt, ut pote quas vera ac genuina principia latuerunt, fine quibus tamen omne superstructum tanquam moles lubrica ac fundamento carens hiulcum est ac fragile, legibusque tali modo consarcinata scriptura tædium ac nauicam, ut alias inconvenientias silentio præteream, excitat. Horum è numero ferme plerique sunt scriptores juris publici. Quorum nomina facile recensere ac singulorum separatim errores ac nævos absque difficultate demonstrate possem, si non religio mihi efficeret Be-nevolo Lectori hâc in re tædiosus existere. Sufficiat ergo, cum eorum multitudo non in unam consipret, sed inter se toto ecclœ singuli differant, & unus ex hoc, alter ex illo fonte normam juris publici hauriat, eandemq; certo sibi ibidem invenisse fingat, in certas ac separatas eosdem in genere distribuere classes. Nonnulli enim ad peregrina aliorum regnorum exempla delapsi, simul quandam consensum populorum pro juris publici fundamento venditare ac sistere videntur, quo ipso res nostras cum exteris mirum in modum commiscent ac confundunt. Veterani plerique ex jure Longobardico & ultimis Codicis nostri libris principia sumserunt, atque ita differentiam regionum, juriū ac statutum inaudito ausu tollere voluerunt. Plurimi in LL. Imperii publicis omne disciplinæ hujus fundamentum reconditum esse opinati sunt, unde factum, ut Commentationibus

E

in



in Auream Bullam, Capitulationes &c. omne negotium confici crederent. Multi viribus suis dissidentes ad placita aliorum iverunt, unde saepius factum, ut dum ex variis authoribus, quorum diversa fundamenta non attenderunt, opus suum exscriberent atque compilarent, contradictiones in eorum Systemata latenter irrepererint. Pauci melioris notæ fuerunt, qui omne præsidium in moribus ac observantia ex historicorum scriptis eruenda, quæsiverunt; Sed, hi iterum in diversas se separant classes. Multi in eo fuerunt decepti, quod non adverterint, mores pro imperantium virtute ac temporum ratione varios esse, sed indistinctè pestilentissimo errore ævum Carolingicum in oculis animoque circumtulerint. Alii non habitis temporum ac Imperatorum discrimini bus, omnes casus, omniaque exempla congesserunt ac invicem comiscuerunt, unde sibi constare haud possunt. Mihi demum illa exempla in jure publico locum meriti videntur, quæ in Conrado I. & Henrico Aucupe & post tempora interregni reperiuntur, cumque Cæsarum vitæ à partium studio haud raro absint, præstat historias provinciarum magis, quam Imperatorum, quod hæc tenus factum, consuluisse. Nec sanè ulla opinio in rempublicam nostram perniciosior excogitari potest, quam quæ tempora jam olim elapsa, vel statum aliorum populorum exterorum respicit; Illique omnes oleum & operam perdunt, qui ex Bartoli similiumve traditionibus hodiernum nostrum statum metiuntur. Knichen de sublim. territ. jur. in epist. dedic. Paurm, de jurisdic. in epist. dedic.

*Traditur in genere inconvenien-* §. XXI. Cuilibet est in aprico, illos sanè Duces ac Principes, qui originetenus, ut Reges, Duces &c. jure proprio pos

possederunt provincias, omniaq; jura in suis territoriis ex-  
 ercuerunt, adeoque Majestatem veram habuerunt, po-  
 stea vero, ut vires Germania per vinculum quoddam uni-  
 tæ manerent, commune quoddam caput elegerunt, &  
 territoria ditionesque suas vel expresse vel tacite obtu-  
 lerunt, & tanquam feuda ab eo recognoverunt, magnam  
 habere potestatem Majestati æqualem, juraque eorum  
 ab illorum statuum juribus longe esse diversa, qui vel ter-  
 ras ex his VI. provinciis possident, vel beneficio Cæsa-  
 rum ditiones adepti sunt; sane leges que ita nominan-  
 tur Imperii fundamentales, non sufficiunt eorum iusta  
 exinde deducendi, nec ut fundamentum considerandæ  
 sunt; Sed purgata historia Germaniæ, & quidem pro-  
 vinciarum controversiis finem imponere debet, Leges-  
 que imperii tantum ut in quibusdam confirmatio, inpri-  
 mis ratione jurium Principum minorum, qui principatus  
 noviores Germaniæ acceperunt, & quibus forsitan contro-  
 versiæ quædam moveri possent, sunt considerandæ.  
 Multo minus tradita juris Longobardici, que omnia  
 tantummodo feuda minora à Regibus militibus data  
 presupponunt, ad status hōscē Imperii applicari possunt,  
 nisi in quantum superioritas illa non lauditur, quod ta-  
 men semper fit, si eodem jure cum ministerialibus uti  
 deberent. Et si objici possit: Quod tamen feudo priva-  
 ri interdum propter delictum debeant; Responderi de-  
 bet: Hoc non procedere ob quodvis delictum feudale,  
 sed tantummodo hoc in casu, si arma directo sumuntur  
 contra IMPERIUM, ita ut animo ruinam inferendi fiat,  
 & quidem hoc non ex vilissimo capite feloniarum fieri de-

bere, sed propter violatam fidem pacis, adeoque jure  
belli eosdem persequi debere, ut hostes.

*Apud Longobardos Rex fuit absolutus.* §. XXII. Sed eisdem materia hæc specialem discus-  
sionem pagellas disputationis longè superantem requiri-  
reret. Interim ut inconvenientia juris Longobardici ad  
feuda Germaniae & imprimis majora, eò dilucidius per-  
spici poslit, addo: Apud Longobardos Rex erat absolutus,  
qui militibus ad serviendum in militia certa dabat  
prædia, quibus si simul inhærebat jura quædam singu-  
latia ad Regem ipsum spectantia, vel speciali lege priva-  
torum usui crepta & soli Regi vindicata, vocabantur à  
Rege REGALIA, quæ in tantum competebant his Vasaliis  
ministerialibus, in quantum Rex ex clementiâ, &  
gratiâ concedere volebat; Hinc etiam cum summus &  
absolutus esset inter Longobardos, ab ipsis nutu nobili-  
tas erat aestimanda & hic quem Rex investiebat cum  
feudo, simulque expressam voluntatem nobilitandi adde-  
bat, vocabatur nobilis, & ipsum feudum nobile &c.  
Sed hæc omnia in Imperio nostro Germanico-Romano  
longè aliter se habere, cœcus esset, qui non videret, ut  
adeoque plurimi Publicistæ, Feudistæ, Scriptores querere  
galium sèpius contra Historiam atque Politicam  
peccent, statumque Longobardicum cum nostro con-  
fundant, & in multis Status Imperii nostri cum Vasaliis  
Longobardicis cum magno detimento reipublicæ no-  
stræ comparent, eosque inter se invicem confundant.

*In Germania Imperator non est absolutus.* §. XXIII. Certè Imperatorem nostrum non esse  
absolutum, Ipsiis propria Majestas sèpissimè agnovit,  
hinc & Ordinibus respondere debere, vetusto exemplo  
Henrici IV. palam est, quod exactè describit Anonym.  
Monach. Herveld. in Chron. Histor. Germ. sub An. 1730.  
Filio

Filius quoque Henricus V. in eodem casse, quibus patrem ceperat, lapsus Anno 1112. tumultuante Imperio generalem curiam Moguntiae instituit, ubi liberam omnibus audienceam, de sibi objectis satisfactionem, de suis juveniliter male gestis correctionem reprobavit. Abbas Ursperg. in Chron. sub An. 1106. Nauckt. Vol. 3. Chronogr. Gener. 38. Idem Henricus apud Triburium sive Triburias generalem conventum habere assensit Anno 1119. Ubi de omnibus, quae sibi objicerentur, rationem redditurum & satisfacturum sponspit. Abb. Ursperg. in Chron. sub ann. 1119. Sigon. Lib. 10. de regn. Ital. Itidem Otto IV. qui ortis ob Pontificis excommunicationem in Imperio turbis Notimbergam omnes Principes convocavit, ibi addit præter reliqua: se paratum Imperio cedere, si principibus Electoribus videretur inutilis, & meritus, ut deponeretur. Hier. Mutius lib. 19. Chron. Germ. Idipsum quoque Matthias, in comitiis Ratisbonæ 1613. habitis agnoscit, quando Protestantium legatis intimari fecit: Es wolten Ihr Kayserl. Mayst. dero Kayserlichen schwaren Beruff und Authorität in administratio der justicien also in acht nehmen und erzeigen / daß Ihr Mayst. es gegen GODE/ten / denen Ständen und bey künftigen Reichs-Tagees verantworten könnten. Vid. Gründlicher Bericht desjenigen so beydem zu Regensburg vorgewesenen Reichs-Tage 1613. verhandelt worden. p. 16. Porro Imperatores saepius exauditoratos & ab officio remotos esse, cuiusvis vel in historiis mediocriter versato exemplo non uno obviam est: Sic Elector Moguntinus contra Henricum IV. Imperatorem, inquit, *Cum quem immeritum induimus, non merito exuamus?* Sigon. lib. 9. de regn. Ital. Helmold. in Chron. slav. c. 32. Ita quoque Otto IV. Imperator

perator Vestri, ait: ô Principes, juris esse fatemur, Imperatorem creare simul & destituere Naucler. Vol. 3. Chronogr. Gener. 41. Licet hæc dubia aliis videantur.

*Nec Principes Imperii  
in Germania à solo  
Imperatore sed simul  
Imperio feuda re-  
cognoscunt.*

§. XXIV. Porro Principes feuda non recognoscunt à solo Imperatore invictissimo, sed simul ab Imperatore & Imperio. Hinc: *Bey den Eyden und Pflichten die Ihr uns von des Reichswegen insonderheit gehan/ das mit Ihr uns und dem Heiligen Reich zugehan und verwande seyd.* Constit. contra Anabapt. de anno 1529. §. deseglichen. Iten bey Verlust aller Gnaden Privilegien und Rechte/ so Ihr von Uns und dem Heiligen Reich / oder sonst habt. Ordinat. pac. profan. tit. Handhabung des Friesdens. §. Darauff beschlossen wir. Recess. Imperii de anno 1542. §. würde sich aber. Ulterius si res quædam ad comitia deferenda veniat, nihil actum judicatur, si inter Cæsarem & Ordines res coire non possit, sed res in libera ac spontanea conventione posita manet. Paurmeister de jurisd. lib. 2. c. 2. n. 50. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. I. c. 1. membr. I. n. 11. Adstricti quoque Imperatores nostri sunt Imperii legibus fundamentalibus, in primis Capitulationibus, quibus non ex honestate sed præcisâ necessitate obsequuntur. Conf. Lundorp. tom. I. act. publ. lib. 6. c. 152. p. 1008. & c. 154 pag. 1077. Et quod in aliis regnis illæ lubricæ sint capitulationes, exinde provenit, quia in sola principis religione ac conscientia fundantur, nec ulli sunt custodes; In Imperio vero nostro custodes sunt Electores. Imo & Comes Palatinus in ipsis Imperii comitiis, Aur. Bulla cap. 5. §. fin.

*Iuramen-  
tum quoq;  
fidelitatis*

§. XXV. Tandem quoq; juramentum fidelitatis status nostri non soli Imperatori, sed etiam Imperio fidelitatis

præstant: Schweren dem Römischen Kayser und dem Reich non Imperia-  
treu hold und gewärtig zu seyn. Reinking, de regim. sec. & toritatum,  
eccl. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 202. Et cum potissimum in præsta- sed etiam  
tione hujus juramenti habeatur respectus ad Imperium, simul Impe-  
ratori verò quatenus Imperator est, i. e. intuitu <sup>rio & qui-</sup>  
Imperi fidelitas præstetur. Vid. deducatio Nullit. in <sup>dem huic</sup> principali-  
proscip. Friderici Palatini apud Lundorp. tom. 1. act. ter præsta-  
publ. lib. 10. c. 33 pag. 1463. Anonym. Autor *Iustitia & Cæ- tur.*

*sareæ Imperialis propos. 15.* Principes feuda sua non ab  
Imperatore, sed Imperio tenere dicuntur in Principum  
Imperi de anno 1200. diplomate apud Goldast. tom. 2.  
*Conf. Imperial.* pag. 286. Cujus verba sunt: *Nos Prin-  
cipes qui jam dictum Dominum in Regem elegimus, Feu-  
da nostra, que ab Imperio tenemus, a manu ipsius recipi-  
entes, dominium sibi fecimus & fidelitatem juravimus.*  
Nec feuda hæc aliter ad Imperatorem pertinere, quam  
ratione Imperii, diserte loquitur Rupertus in *Gonstitu-  
tione de vicariatu Imper.* German. §. 4. apud. Goldast. tom.  
I. *Conf. Imp.* p. 382. Imperator. Sigismundus in *reforma-  
tione sua de anno 1436. c. 21.* Apud Goldast. Der Reichs  
Constitution, Reformation, Ordnungen und Aufschreiben  
p. 195. inquit: *Ich ermahne euch bey denen Reichshalden;*  
& sic solum Imperium omislo Imperatore exprimitur.  
Idem exprimunt, scil. bey denen Pflichten/ damit sie dem  
Heiligen Reiche verwandt; Reformatio morum de anno  
1530. tit. von Siegeuneren. Et *Reformatio de anno 1548.*  
tit. eod. Sic quoque Johannes Fridericus Saxoniae Ele-  
ctor & Landgrafus Hassia Carolo V. fidelitatem renun-  
ciarunt, *salvâ istâ, quâ obstricti Imperio erant, fide:*  
*Haben Ihm Ihr Eyd und Pflicht / damit Sie ihm ver-  
wandt gewest/ auffgeschrieben/ und auffgekündigt/ doch dem  
Heiligen Reich in alle wegen nicht allein unnachtheilig/ sondern  
auch*

auch zu Erhaltung desselben wohlhergebrachten Libertaten und Freyheiten. Vid Hortled. tom. 2. de bell. German. lib. 3. c. 24. n. 12. Possem adhuc plura de jure facrorum, jure belli & pacis, jure foederum, jure legum ferendarum, jure supremæ jurisdictionis, jure collectarum, jure creandorum magistratum, jure cuendæ & ordinandæ monietæ, jure legatorum mittendorum &c adducere, nisi ex hac tenus adductis satis liqueret, quanta sit differentia inter Regem Longobardorum & nostrum Imperatorem, Feuda Londobardica & Germaniaæ, Vasallos Longobardicos & Principes Statusque Imperii nostri Germanico-Romanæ, Quæ verò adducta sunt, ne quis in sinistram interpreteatur partem (de quo protestor) sed unicè ut excerpta pro necessitate causæ & defensione theseos meæ ex scriptis & autoribus notissimis, habeat aestimatique.

*Disquiritur: Quan-*  
*do territo-*  
*ria statum*  
*hereditaria*  
*esse cepe-*  
*runt?*

§. XXVI. Cœterū, qui, quo tempore territoria Statuum ut feuda Germania hereditaria esse cœperint, disquirunt, tempora Carolingica & post Carolun M. ejusdem stirpem, ibi quoque provincias immediatè fisco regio adscriptas, & suis ducibus relietas, vel iterum concessas, hic verò VI. magnarum illarum provinciarum duces, cum particulis ex hisce Ducatibus post eorum lacerationem, enatis, confundunt; Quæ tamen confusio, si methodus non resisteret, facile demonstrari posset, interim ex specialibus provinciarum historiis & domesticis annalibus facile dissolvi ac perspici poterit. Sanè Conradum I. primas de feudis perpetuis leges condidisse, certo modo largior Alteserr: *de Orig. feud. c. 2.* Et in primis sub Ottobus Imperatoribus ducatus (ex majoribus ducatibus enatos) Marchionatus atque Comitatus hæreditarios factos suis tradit Myler ab Ehrenbach, *in Archolog. c. 9. n. 1. seqq.*

seqq. Quæ sententia etiam Besoldi P. III. iur. publ. c. 6.  
p. 258. seqq. placet. Paurmeister. iterum sub Ottone I. id  
factum esse contendit lib. 2. de juris d. c. II. n. 8. 9. Sed Fran-  
ciscus Guilimannus illud in Ottonis III. tempora rejicere  
maluit. IV. Habsburg. 2 p. 122. Alii temporibus Henrici VI.  
id adscribere volunt Gervasii Tilberiensis autoritate ad id  
permoti; Quippe ab Henrico VI. constitutum memo-  
rantis, ut militie (feuda) more Gallorum & Auglorum succe-  
sionis jure devolverentur ad proximiores generationis gra-  
dus, cum antea magis penderent ex Principiis Gratia. Sed res  
pro substratâ materiâ est explicanda & textus ad mini-  
strialium & inferiora feuda referendus, non ad feuda  
Majora Imperii.

§. XXVII. Interim de his omnibus opinionibus *Respondetur*  
& sententiis Vid. Itter. de feud. Imperii. c. 1. §. 14. Ubi qui-  
dem in eo ipsi assentior, quod non omnia territoria sta-  
tuum nostrorum (minorum sc. de jure) uno codemque  
tempore & momento, sed pedetentim paulatim & longo  
sæpius intervallo interjecto hæreditaria effecta sint. Sic  
Conradus Imperator Uttoni Comiti Comitatum suum *cis.*  
& Forestum in montanis *Hars* / ejusque uxori Beatrici  
eorumque post se utriusque sexus heredibus in benefi-  
cium perpetualiter (sunt verba diplomatis) tradidit &  
stabilivit, quæ concessio postea ab Imperatore Friderico  
anno MCLVII. repetita & confirmata fuit in Tabulis  
apud Mader. in antiquitat. Brunswic. p. 11. Ducatus vero  
in Bojoaria Ottonis I. atate nondum hæreditarius fuit.  
Vid. Itter. c. 1. §. 17. Sed hoc ultimum exemplum non ul-  
teriorius quam ad refutandam sententiam, uno eodemq. tem-  
pore feuda in Germania hæreditaria facta esse, & uti histo-  
riam & factum nudum adductum volo. Non autem tan-  
tum

tum seculares Principes sed etiam Ecclesiasticos, sc. Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates &c. Imperialibus feudis insignitos esse constat, indeque duplē personam, Ecclesiasticam & secularem representare, communis Publicistarum sententia est. Quo autem tempore potestas illa secularis hisce clericis tributa sit, non ita extra controversiam est. Cranz. lib. 1. Metrop. proem. & alibi, illud ad Caroli M. tempora refert, sed confutarunt eum satis Myler. in Archolog. Ordin. Imper. c. 12. n. 5. seqq. Junct. c. 14. & Sagitt. in Histor. Bardeovic. c. 3. §. 44. seqq. Alii à temporibus Ottonis I. qui fratri suo Brunoni, Archi-Episcopo Coloniensi, hac potestatis atque honoris insignia unā cum ipso Lotharingia ducatu primū largitus est, potestatis hujus originem deducere malunt, ex histor. Landgr. Turing. VVitechind. aliusq. scriptoribus Lehmann. lib. 4. Chron. Spirens. c. 3. Conring. disp. de Virbib. Germ. th. 108. & Disp. de Duc. & Comit. th. 25. Vid. Dissertatio mea De viribus capi- tuli sede impedita in Regia Academia Fridericianā quæ Halæ Magdeburgicæ est, sub Praesidio Viti Excellentissimi & Consultissimi, cui propter fidelissimam informatio- nem multa debeo, Dni. D. Böhmeri P. P. Extr. & jam fa- cultatis juridicæ Adjuncti c. 3. §. 25. Interim Cranzii sen- tentiaz aliquid veritatis subesse, luculenter ostendit Eyb- en. de Origin. Regul. Quilibet princeps in suo territorio est Imperat. c. 3. in fin. ibid. alleg. auth. Planè principum titulo eosdem jamidum gavios esse constat, quod tamen ita accipi haud debet, quod omnia regalia in ipsos transie- rint, utpote quod falsum. Myler. d. l. c. 12. n. 6. Ipse quo- que Schurffleisch. in not. ad Epist. Belg. de vera origine mo- tuum Belg. lit. aa. tradit; Jam Carolinis temporibus Epi- scopos se paulatim efferre coepisse, & beneficia, quæ non qui-

43

quidem potestate in territorio, seculum quodammodo  
tamen præferrent, accepisse.

§. XXVIII. Hoc adhuc attingendum restat, quod *Quedam nonnulla feuda in Germania sint, quæ directo oblatorum feuda in naturam habent, quædam per indirectum;* Quamvis si *Germania Severin. de Monzambano de statu Imperii Germ. c. 3. sunt directo Omnia in Germania directo oblata esse velit, erret, ac ex oblatæ,* historia ipsa refutetur. Vid. *Illustris Dn. Hertius Patronus ac Præceptor meus æternum devenierandas in Diss. de fēdū Oblat. part. I. §. 15.* Quædam tamen talia in Germania esse, nemo negabit; Sic ex.gr. Waldeccensis Comitus primū Hassiae Landgratis, & ab his mox ipsi Imperio, in feudum oblatus est. Scopius in *Thesaur. Fēdū. c. i. sect. 8. p. 133.* Ubi formulam oblationis, *den Ufftrage Brüff/exhibet.* Comitatum Oldenburgicum ab Antonio I. Comite An. 1531. Carolo V. Imperatori in feudum oblatum contendit Dux Holstæti Gottorpensis; cui tamen haec tenus contradixit dux Holsatico-Phœnensis, & antiquioribus longè temporibus Comitatum illum vinculo feudalī obstrictum fuisse contendit. Vid. *Aufführliche refutation in puncto Oldenburgh und Delmenhorstischer Succession contra ducem Holstæti. Gottorpensem à Pleenensi edit. in Diar. Europ. P. 25. p. 154.* Ducatus quoque Brunsvico-Luneburgicos, cum haec tenus patrimonii allodiale fuerint, Imperio Anno 1235. in feudum oblatos esse scribit Conring. *ad Lampad. 111. 5. 28. p. 201.* Quod ipsum satis quoque testantur literæ, quas Fridericus II. Imperator Ottoni de Lüneburg impertivit, & Meibomius inter Opuscula historicæ publicavit p. 503. seqq. Ubi Imperator p. 504. loquitur: *Insuper proprium suum Castrum Luneborg, quod idiomate Teutonico vocatur Egen/cum multis aliis castris, ter-*

ris & hominibus eidem castro pertinentibus, in nostram proprietatem & dominium specialiter assignavit; ut de eo, quicquid nobis placeret, tanquam de nostro proprio faceremus &c. Quæ verba indicant, reverâ ducatus Brunsvyco-Luneburgenses in feudum oblatos esse, cùm Otto de Lünburg suas terras Imperatori mancipaverit, hic remancipaverit. Vid. Illustr. Dn. Hert. Diff. de feud. obl. part 2 §. 3. Quod etiam Ferdinandus II. Imperator satis agnovit in rescripto de Anno 1625. quod extat apud Stuckium Consil. 25. n. 74. De aliis prærogativis, privilegiis & insignibus Domus Augustissimæ Brunsvyco Luneburgensis momentis Vid. Dn. Ludvig. in Germ. princ. lib. 6. Plura exempla feudorum oblati. vid. in laudatiss. tract. Dn. Hertii de feud. obl.

In feudis oblatis Vasallus longè majorem habere potestatem ac in feudis datis, per se patet, dominumque tantum jus clientalare in iis acquirere J. Ctorum Magnorum sententia est. Vid. Besold, in thesaur. pract. lit. A. n. 102. Faust. de Ærar. Clas. IV. ord. 163. Besold. de statu reip. sub altern. c. 1. n. 5. & lib. 1. polit. c. 9. §. 1. n. 4 p. 104. Idque exemplis variis atque elegantibus illustrare possem, sed ablego Benevolum Lectorem ad Dn. Lyncker. de gravam. extraj. c. 5. sect. 1. §. 24 p. 429 seqq. Klock. tom. III. Consil. 157. in princ. Wurmser. de feud. impr. class 3 sect. 8. n. 7 seqq. Ged. vol. 4. Consil. Marpurg. 37 n. 720. seqq. n. 701. seqq. n. 62. n. 43. & passim. Bellè Mon Zamban. all. tract. de statute rip. Rom. c. 3. §. 4. inquit: *Qui bona jàm ante parta ab altero tanquam feuda deinceps vult recognoscere, ille nihil aliud agere est intelligendus, quam ut isti, quem dominum feudi salutat, se se tanquam inæqualiter fæderatum adjungat, & ad istius Majestatem comiter contendat, se se obligare sub oneribus ei conventioni adjunctis teneatur.*

§. XXX.

§. XXX. Sufficiant hæc ad incongruam, in multis,  
 juris Longobardici applicationem ad feuda Germaniæ in <sup>Tandem</sup>  
 genero demonstrandum. Ad specialia nunc esset pro-<sup>suppeditan-</sup>  
 grediendum, & non solum ad quos <sup>tur quadam</sup> status Imperii circulo-  
 rum, sed etiam in quibus causis & juribus jus Longobardi-  
 cum incongruè esset applicatum, nec non qui status, propter  
 præminentiam majorem nullam hujus juris applicationem,  
 qui verò status qualem qualem admitterent, demonstran-  
 dum foret; Tandem quoque suppeditanda essent consilia,  
 quo modo quâ ve arte ex hoc labyrintho Status Imperii ex-  
 trahi corumque jura restaurari possint, nisi partim tem-  
 pora aliud suaderent, partim quoque hic labor munus  
 disputationem conscribendis excederet & specialem re-  
 quereret tractatum; in primis cum & primus Disputatio-  
 nis præsentis penicillus præter opinionem jam tum ità ad-  
 umbraverit folia, ut potius finem elaborationi imponere,  
 quam ulteriò pergere ipsæ disputationis pagellæ suadeant.  
 Si verò, Benevolè Lector, propria industriâ præsentem materiam  
 perveftigare, & lucubrando ejusdem acumina attingere cupis, suffi-  
 cientem, haec tenus adducta, ansam præbere ac suppeditare possunt.  
 Pro majori verò subsidio sequentia, hæc vice, apponam axiomata:  
 (1) Genuina historia Germaniæ est fundamentum juris publici. (2)  
 Tempora ipsa Carolingica & post stirpem Carolingicam non sunt  
 confundenda sed probè separanda. (3) Carolus M. iure belli bonam  
 Germaniæ partem possedit. (4) Extinctâ viatrice domo sui ite-  
 rum juris Germaniæ provinciæ factæ sunt, que sub Imperio Caro-  
 lingorum steterunt. (5) Hinc à Conrado I. historia jurispublici su-  
 menda & iura Statuum sunt deducenda. (6) Turbida verò tempora  
 à genuina historia sunt separanda adeoq; non consideranda. (7) Jus  
 Longobardicum & Civile Romanum in subsidium est receptum. (8) Per  
 electionem, quæ suâ naturâ est restricta, in electum eligenstantum  
 confert, quantum expreſſe vult & potest. (9) In dubio sibi nemo

præjudicasse censendus est, (10) Quod confirmo, quod tamen possum afferre, censeor dare. (11) Quem superiorem meum, ego absq; imperio vivens, eligo, restringo, ei bona mea, antea parta, offero. (12) Quando causa tertii à mea separari potest, tertio nec nocere nec prodeesse, in dubio censi possum. SAPIENTI SAT!

SOLI DEO GLORIA.

**D**Octrinas solidas en Willerdingius adfert  
In Themidos Cathedram judiciumque probum!  
Nil igitur justum magis est, nil æquius, ipsum  
Votis potitum, præmia ferre, suis.

*Nobiliss. D. Willerdingio, pro summis in  
utroq; Jure honoribus disputanti,  
l. m. ponebat,*

J. N. Hertius, J.U.D. & P.P.

**L**Eges Feudorum dum confers, præmia jure  
WILLERDINGE Tibi conferet alma Themis.  
Præclaræ Eruditioñis Candidato, Fautori &  
Amico suo Honoratissimo, cum omnige-  
næ prosperitatis voto ex animo gratulatur

Bernh. Ludovicus Mollenbecius D.

**A**NNE à Germanis Feudorum ab origine leges  
Non aliunde fluant vel sibi dissideant?  
Est specimen præsens, quō Te DOCTORIS honores,

Præmia Virtutis, jam meruisse probas.  
Si Germana fides Themidi Te glutine juris  
Junxerit, & celebris jure Vasallus eris.

*Hic Nobilissimo & Preclenti Domino Can-  
didato gratulari voluit.*

Simon Nicolaüs Orthius, J.U.D. & Prof. Ord.  
Cer-

**C**erasti, satū est, cingat tua Tempora LAURUS,  
 Ardua vicisti tedia juris 70:  
 Quæ doctrina Tibi, Thesis hac doctissima monstrat,  
 Quæ sit dexteritas ingeniumq; docet.  
 His ergo curis, metam quoq; pone, labori,  
 Accipe NUNC studijs præmia digna Tuis.  
 Vive diu, sed vive Deo, sis gloria stirpis,  
 Sis patriæ splendor, Fautor, Amice, Mibi.  
 Hoc Nobilissime ac Doctissimo Domino Doctorando;  
 Amico & Commensali meo hactenus æstumarissimo  
 gratulabundus apponere volui:  
 Georg. Joseph. Wagner. Hagiopolit.

**S**ielegt Er auf den Schatz der hochbegabten Sinnen /  
 Was sich sein muntrer Geist/Hochweither/schwingt empor/  
 Und Er der klugen Welt durch läbliches Beginnen/  
 In einer schönen Schrift stellt klar und deutlich vor/  
 Was vor das Alterthum vom Lehrerecht auffgeschrieben /  
 Und wie durch kluger Fleiß es heute wird getrieben.  
 Was Wunder ist es nun? daß dieses Lahn-Athen  
 Die Eugend/die Ihsn ierth/ jetzt nach Verdienst erhebet/  
 Und wir Ihsn nunmehr sehn in vollem Lichte stehn/  
 Wo sein beredter Mund der Lehrer Sis belebet?  
 Nun ist der Bau vollbracht den Halle auffgefahrt /  
 Nachdem Ihsn Giessen jetzt mit hellen Farben ierth.  
 Ein Wohl gefinnter Erieb aus Treu ergebnem Herzen/  
 Heist mich aus Schuldigkeit un̄ wahrer Freundschafts pflichte  
 Jetzt preissen seinen Stand und neue Ehren-Herzen /  
 Nur fast mein schlechter Reim sein Lob und Wördenicht:/  
 So ist die Neigung auch/ die sich bei mir lässt finden/  
 Diel größter als daß sie sich ließ an Verf binden.  
 Drum steht ein treuer Wunsch/statt meiner Pflicht sich ein/  
 Mit deme/ ob auch schon die Kunst daran vergessen/  
 Er/Hochgeschätzter Freund/ doch wird zu frieden seyn/  
 Und Ihsn mehr nach dem Kern/ als nach den Hülsen messen/

30

Ich rüff Ihm nur Glück zu ! und wünsche dir an bey /  
 Dass nimmermehr kein Wunsch bey Ihm vorstehen sey.  
 Hierdurch wolle denn Hn. Licentiatu als seinen hochverehrten  
 Freunde bey würdig angenommenen Grada seine Bey-  
 freude contesirenn

**Christian Siegfried Hahn**

Long-Salzenlis Saxo.

**C**ertamen sequitur sertum, pugnamque triumphus,  
 Qui non sentit onus, non comes hujus honos,  
 Nam statuere Dii, titulos sudore parari,  
 Et manet ignavus, gloria nulla virum:  
 Isthæc perpendens TECUM perdulcis Amice,  
 Non TE pœnituit ferre laboris onus,  
 Nec pinguit themidi noctesque diesque sacrare  
 Justicæque lacra perdidicisse leges:  
 Hujus TU nobis HALLÆ documenta dedisti,  
 Et specimen præfens, sat docuisse potest;  
 Ergo cape insignes JURIS DOCTORIS honores  
 Nomen, & æternum non sine laude decus,  
 Crescat in immensus spatiolus campus honorum  
 Hinc tua posteritas, nomina clara ferer,  
 Et tibi perpetuas cantabit PATRIA laudes  
 Cum videat sertis, tempora cincta NOVIS.

*Hicce Nobilitissimo & Doctissimo Dr. Doctorando, &c. triduo post  
 disputationem hanc Inauguralem ventilatam, scilicet die 17.  
 Aug. in J.U. Licent. solenitate promovendo & creando,  
 applaudere, ac in signum amoris gratulari voluit.*

Franc. Mich. Götde à Werl Westphalus.

**P**rætero Laudes, præfens in jure Magistrum  
 Laudat opus, totum nil nisi Docta fovens.


Ut multos numeres juste & feliciter annos

Apprecor ex animo, Congratulorque Tibi.

*Ita Nobilitissimo Domino Respondenti & gratissimo ha-  
 benuis Commensali affectum contestari voluit  
 Johannes Fridericus Wernerus Lohr.*

F I N I S.





**ULB Halle**  
005 372.02X

3





Farbkarte #13

B.I.G.



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE 1705, 5. NOVEMB.

# INCONGRUA APPLICATIONE JURIS LONGOBARDICI AD FEUDA GERMANIAE

QUAM

AVXILIANTE DIVINA CLEMENTIA  
CONSENSU MAGNIFICI  
JCTORUM ORDINIS.

IN CELEBERRIMA VNIVERSITATE HASSIACA GISENSI.  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HO  
NORIBUS AC PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS  
SOLEMNITER CONSEQUENDIS.

IN AUDITORIO SOLENNI  
MAGNIFICIS ATQUE EXCELLENTISSIMIS  
DNI. PROFESSORIBUS  
VENTILANDAM PROPONIT.

ABSQVE PRÆSIDE

JUSTUS CHRISTOPHORUS  
WILLERDING,

HILDESIENSIS SAXO.

D. XIII. AVGUST. ANNO MDCCV.

GISSÆ - HASSORVM,

Excad. JOHAN. REINHARDUS VULPIUS, ACAD. TYPOGR. ORD.